

furiolo factum quando dilu-
cida mentis intervalla ha-
bebat, valere, si modo testa-
mentum consummaverit,
antequam furor superveni-
ret. At si in eo testamento
desit legatum, quod in eo
testator facere volebat, vi-
tiabitur testamentum ex su-
pervenienti furore, quia non
potest dici consummatum
testamentum, in quo testa-
tor legatum ponere volebat,
*l. heredes palam, §. 2. ff. de tes-
tam. l. sancimus, C. eodem vbi
legata, & libertates sicut, &
hæredis institutio nuncupa-
ri debent, vt consummatum
dicatur nuncupativum te-
stamentum: ergo.*

13 Limitatur primo hæc
opinio, vt locum nõ habeat,
quando testator qui destina-
vit facere legata diu super-
vixit, & nihil egit, nam tunc
testamentum illud dicitur
habuisse pro perfecto, &
illius destinationis pœnituis-
se. Sic Curtius Junior in *cons.*
*12. num. 2. vers. tertio ad idem, &
cons. 304. nu. 18. & 28.* Ruinus
cons. 1. col. penult. lib. 2. Paulus
Castrensis in *l. iubemus vers.*
*Item nota, C. de testamentis. Me-
nochius d. præf. 5. num. 5. & d.
cõs. 224. n. 19. & 20.* Simon de
Prætis de interpretat. ultim. vo-

lunt. lib. 2. fol. 1. nu. 44. fol. 187.

Castillo dict. cap. 21. num. 7.

14 Limitatio hæc probatur
ex *l. si testamentum §. C. de insti-
tut. & substit. ad idem ferè pō-
derata supra cap. 9. num. 8. &
ex dicta lege si quis cum testa-
mentum à contrario sensu re-
lata etiam dicto capite num.*
11. ex relatis cap. 10. num. 23.

Quibus addo simile casum
in quo quia testator potuit
mutare testamentum, & non
mutavit, illud convalidatur,
nempè quando testamentum
est ruptum ex superventia
posthumi; cum scilicet pater
posthumum præterijt, & adie-
cit clausulam codicillarem,
si eo vivo posthumus nascatur,
& deinde patre vivo de-
cedat, qui cum diu supervi-
xisset, & potuisset mutare te-
stamentum nõ mutavit, & illo
decessit, videtur de novo te-
stamentum confirmare; atque ideo
validum esse, tenet communis
opinio. Iasson in *Authent. ex
causa num. 25. C. de liber. præte-
rit, Decius cons. 409. num. 7. &
8. Angelus cons. 108. Alexan-
der cons. 123. num. 10. lib. 1. &
cons. 42. num. 9. lib. 2.* Corneus
*cons. 118. lib. 2. & cons. 158. Cra-
veta cons. 67. n. 2. Menochius
cons. 224. num. 21. Pancirola
cons. 95. n. 32. Olascus cons. 11.*
num.

num. 29. & 30. Malvasia *cons.*

4. Paulus de Montepico *cons.*

1. Antonius Thesaurus *decis.*

141. Peguera *decis.* 110. Iustus

Clarus, §. *testamentum, quæst.*

46. num. 2. in medio. Tiraquel-

lus in *l. si nunquam verbo suscepe-*

rit liberos nu. 213. C. de revocand.

donat. Gailius lib. 2. observat.

114. n. 13. Gasp. Anton. The-

saurus *quæst. forens. quæst.* 70.

nu. 3. Marta de *clausulis claus.* 17

17. n. 19. & de *success. legal. part.*

4. *quæst.* 3. art. 7. nu. 12. Fontan.

de *pactis nuptialibus 2. t. claus. §.*

glos. 8. part. 3. num. 58. 65. & 66.

Cancerius *lib. 1. var. cap. 4.*

num. 48.

15 Limitatur secundo præ-

dicta opinio, quando in actu

testandi non voluit testator

legare, sed in aliud tempus

reservavit: vt si dixerit cogi-

tare velle an aliquid relin-

18 queret consanguineis suis,

vel postea se esse legatarum.

Sic Castrensis *cons.* 138. lib. 2.

Michael Grasus, §. *testamentum*

quæst. 12. num. 4. Thadeus Pifo

lib. 1. var. cap. 7. n. 37. Additio-

19 nator. Clari, §. *testamentum q. 9. n.*

4. & supra dictum est cap. 9.

num. 12. & 13.

16 Neque obstant argu-

menta, quæ pro contraria

opinionem traduntur; non pri-

imum, nam licet verum sit,

institutionem, & legatum

esse diversa, adhuc omisso

legati facit corrumpere institu-

tionem non ex vi legati, sed

quia eo deficiente imperfecta

est voluntas testantis; & ideo

testamentum non valet, nec

quo ad institutionem, aut

alia disposita, cum sit indivi-

duum, cuius perfectio in ul-

17 timo puncto, & syllaba con-

sistit. Quando enim plura se-

parabilia coniunguntur ad

vnam voluntatem sub vna

forma explicandam; tunc

efficitur vnum individuum

ratione unitatis formæ. Bar-

20 tolus in *l. Gracè, §. illud, ff. de*

fideiussor. Baldus in l. certi con-

ditio, §. quoniam, col. 2. ff. si cer-

tum petatur, & tunc in indivi-

duis ratione voluntatis utile

per inutile vitiatur. Angel.

18 Immola, & Alexander in *l. si*

mibi, & tibi, ff. de verb. obligat.

Tiraquellus de *retractu ad fi-*

nem numer. 64. Decius in *An-*

thentic. qui rem, C. de sacros. Ec-

cles. col. fin. Pedrosa de *regulis*

iuris in cap. utile 37. num. 3.

19 Non secundum, quia li-

cet legatum in testamento

nõ sit pars principalis in illo,

sed hæredis institutio, atamè

posito legato statim valet te-

stamentum, quia pars integra-

lis illius est, & quia formas

N quæ

quæ dat vires testamento, & quæ dominatur, est volûtas, 21 causa efficiens illius, & ita cum posito legato hæc perficiatur, venit inde vt valeat testamentum. Vnde minimè dicitur, legatum, quod est accessorium, tribuere vires principali, quia dum voluntas testatoris est imperfecta, hæredis institutio nihil supponit, & quæ dat illi, & testamento perfectionem est volûtas testatoris, ex cuius perfectione omnia, quæ in testamento continentur, dependet.

20 Non tertium, nam regula illa, quod quis non presumitur eligere viam, per quam iudicium suum subvertatur, intelligitur de iudicio perfecto ratione voluntatis, nam si imperfectum sit voluntatis ratione nihil valet, cum perfectio volûtas totum in ultimis elogijs faciat. Vel secundo quod procedit in casu dubio, & in ijs, quæ ex volûtas testatoris pendent: at testator, qui vult in testamento ponere legatum, in necessariâ antecedentiâ velle presumitur, testamentum non antea perfectum esse quam legatum in illo positum fuerat, vt supra dictum est in secundo argumento pro vera


sup

VI

opinione. Non obstat quartum, nã licet textus in d.l. si quis cum testamentum. Loquatur in casu, quo aliquibus hæredibus institutis testator ultra non processit ad aliorum hæredû institutionem, non tamè inde sequitur excludendû esse casum, quo apparere atque constare possit voluisse testatorem ultra procedere ad dispositionem aliorum, etiã particulariter non vniversaliter, quia iure consultus non facit vim in eo, quod, alios hæredes, is qui testamētum condidit, voluisset pronuntiare, quasi in vniversali dispositione versaretur, nec in particulari idem fuisset responsurus, si de particulari interrogaretur, sed ita futurum id esse dixit, cum constaret, plures eum, qui testamētum fecisset, hæredes pronuntiare voluisse: quia tunc testamentû nõ diceretur perfectû, Idem tamen iureconsultus dixisset, cum constaret aliud ultra testatorem disponere voluisse. In eo ergo, quod constat ultra procedere voluisse testatorem, vel nõ, vim facit iureconsultus, nõ verò in eo, quod in particulari vel vniversali dispositione versetur, cum

cum verè voluntatis perfectæ, & actus consummati defectus in vtroque casu interueniat. Sic Ayora respondet Castillo dicto capite 21. nu. 14. cui minimè obstat decio regia, qua sustinetur testamētum quo ad legata sine hæredis institutione, nam procedit, vbi dispositio testamenti perfecta, & consummata fuit, nam vltimarum voluntatum favore admissum fuit

vt sustineretur dispositio, sine hæredis institutione, quo in casu, hæres ab in testato succedit, quæ specialis decisio ad alios casus non extenditur, nec tollit perfectionis, & imperfectionis voluntatis materiam, quæ provenit ex consensu testanti, & consummatione actus individi, vt bene Castillo dicto cap. 21. num. 31.



N2 CA.